



**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Pars V. Continet Analecta scitu necessaria ex Rhetorica Cypriani Soarii lib.
1. & 2. comprehensa, sed prætermissa superius, quod praxeos ordini,
quoad Tyrones minùs deservirent. Itaque Supplemento I. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

PARS QUINTA.

Supplementum ad lib. I. c. 33.

De Amplificatione.

DE hac tractat Cyprian. Soarius lib. I. post locos explicatos, eò quòd ex locis materiam desumat amplificatio. Verum quia non illis solis affurgit, sed quam maxime figurarum apparatu, utpote quæ sinè illis confici non potest, ideo ad faciliorem Tironis praxim, quam potissimum specto, hunc e locum reservavi, salvo interim Authoris iudicio, qui ordinem doctrinæ secundum materiam profecutus est.

§. 1. *Quid sit & quibus modis fiat amplificatio.*

Tria, ut principio libri 3. dicitur, Oratoris sunt officia. Primum docere, secundum delectare, tertium movere: Docere (verba sunt D. Augustini lib. 4. de doctr. Christiana c. 12.) propter ignaros; delectare, propter plurimos, veritatem, nisi adjungatur dicendi suavitas, fastidientes; movere propter duritiam.

Et doctrina quidem est omnino necessaria, quia ignorata agi non possunt, delectare verò non est necesse, nisi ad attentionem Auditoris

toris fastidientis; & movere, ad duritiam cordis. Quâ verò ratione hæc tria efficiat, Orator declarat c. 13. dum ait. Docet argumentis, delectat pulcherrimarum rerum novarum, atque variarum elocutione, movet amplificationibus. Sic ille: Non est autem *amplificatio oratoria*, quoties pluribus verbis, aut rebus sententia aliqua vel argumentum exponitur, sed quoties vi, atque arietate quodam congestis in unum argumentis, aut figuris impellitur voluntas, ut victam se dedat Oratori. Prior illa *amplificatio vulgaris* est à Tironum vulgò sic nominata, & dicitur fusior propositionibus alicujus, vel argumenti explicatio, vel deductio; Hæc *oratoria* propriè, ut quæ ab Oratoribus hoc nomen sola consecuta est, & definitur; quod sit *exaggeratus quidam eloquendi modus ad inclinandam & flectendam voluntatem ordinatus*: In hoc enim sita est, ut, quæ videntur parva, extollat, & magna minima efficiat, laudando augeat, vituperando deprimat; undè fit vel ad augendum, vel minuendum. Differt autem à Confirmatione, quòd hæc dilucidâ argumentorum expositione ad solius intellectûs assensum tendat, quamvis modicè voluntatem attingat per scintillas quasdam affectuum hinc indè projectas. Amplificatio verò tota est ad motum & assensum voluntatis; nimirum, ut id, quod intellectus agnovit ita se habere, voluntas ad ejus fugam, vel amplexum reipsâ

Hh

fera-

feratur: potest enim te ab intellectu agnita, & comprobata; reluctari voluntas (quod enim sunt qui agnoscunt rem esse fugiendam, peccatum v. g. ebrietatem, & tamen fugere nolunt) unde eò eniti oportet artem Oratoris, ut convicto intellectu, etiam voluntatem convincat, & flectat. Quem in finem adhibetur post argumentorum expositionem in confirmatione factam, amplificatio, estque velut confirmationis confirmatio, aut saltem voluntatis, sicut illa intellectus, Quintiliano anima, atque spiritus Orationis, l. 6. c. 2.

Non fit autem elatione vocis duntaxat, inconditisque clamoribus, non manuum compositione, non validâ pulpiti percussione, non corporis agitatione, non larvarum, aut calvarum ostentatione, ut ostendit P. Balbinus in Quæsit, Orator. simpliciores hæc percillere possunt, sapientioribus autem risum, aut stomachum movere. Verum

Amplificatio fit i. eorum locorum (ex quibus argumenta petuntur pro Confirmatione) usu, atque operâ; non quidem omnium, sed eorum duntaxat, qui multa in una aliqua re continent, ut definitio aut descriptio Rhetorica, partium enumeratio, similitudo, contraria, pugnancia, adjuncta, antecedentia, causa, effectus. Unde serviunt definitiones conglobatae, & descriptiones, partes ejusdem rei affatim recensitæ, congeries similium, contrariorum effectuum, &c. Valet etiam, si plura ex diversis locis in unum congerantur.

gerantur, ita ut una, eademque res ex pluri-
 bus locis strictim probetur: quòd enim rebus
 divisim positis non potest Confirmatio, hoc
 in unum collectis efficit amplificatio, cum
 virtus unita sit fortior, quemadmodum mili-
 tum turma, aut manipulus validior est, quàm
 si iidem dispersi in hostem imitantur.
 Quam ob rem in Epilogo, ubi potissimus am-
 plificationi locus est (quanquam & post
 rem aliquam narratam, vel expositam, bre-
 vis affectus tanquam telum vibrari solet)
 colligi breviter in unum solent argumenta,
 in quibus fusè, atque separatim versata est
 confirmatio, ut illa dilucidè ad captum, &
 assensum intellectus proponeret: Quæ cum
 jam intellecta, & comprobata supponat epi-
 logus, *strictim* ea unum in cumulum conjicit
 ad majorem impetum, quo à voluntate ex-
 torqueat assensum. Dixi, *strictim*, alioquin
 enim epilogus altera erit confirmatio; unde
 neque opus est ut omnia referat, sed potiora
 quæ magis deserviant ad affectum intentum.
 Sed & alio figurarum colore proferenda, ut
 eadem cum sint, tamen cum tædio non au-
 diantur, velut si alia forent. Exempla hujus-
 modi habet Cyprian. l. 1. à c. 34. P. Masen
 in Palæstra Oratoria. Et ex SS. Patribus P.
 Franc. Romanus in Sacro Ecclesiaste lib. 2.
 lect. 3, c. 2. Ego in re abundantanti nolo esse
 longior. Obvius est Causinus, apud quem
 exemplis plena omnia lib. 5. & lib. 3. Apud
 quem etiam post librum 5. invenies indicem

Hh a

alpha

484 *Supplementum adl. i. cap. 33.*
alphabeti ordinem digestum, & collectum ex
Cicerone.

Secundò amplificationem, & motum generant tropi atque figuræ verborum multæ, sententiarum pleræque. Neque modo figuræ, verùm etiam verba ipsa grandia, plena atque sonantia, epitheta, Synonyma & de quibus lib. 3. fusè actum est, quemadmodum & de numero Oratorio: in quo tamen cavendum est, ut monet M. Augustinus l. 4. de doctr. Christian. c. 14. nè, dum divinis gravibusque sententiis additur numerus, pondus rebus ipsis detrahatur. Si quando, tum maximè ars dissimulanda est, & tegenda, ne illius gratiâ abstractus auditor rebus ipsis non advertat animum.

Hic nota Quintilianum l. 8. c. 4. quatuor assignare amplificandi modos. *Incrementum* cum gradatim crescit, aut decrescit Oratio, eò quòd majora minoribus subjiciantur, aut contrà. *Comparisonem*, ut ex minoribus majora appareant, aut è converso, ex majoribus minorà. *Ratiocinationem*, cum unum ex alio colligimus, & inferimus, ut ex signis rei magnitudinem, ex antecedentibus consequentiam. *Congeriem* denique, cum multa ejusdem rei adjuncta, vel effectus ac cumulantur, ut Jobi patientia ex tot malis coacervatis, quæ passus est. Sed hi modi nascuntur tanquam soboles ex prædictis, sunt enim *usu locorum, & figurarum.*

§. 2. *Monita circa effectus excitandos.*

Jam insinuavi motum (sic affectus dicitur, quod illo voluntas, aut animus moveatur) non esse concitandum, nisi post rem expositam, & brevem quidem, post rem aliquam narratam, aut uno; vel altero argumento probatam; longiorem verò, atque validissimum in, vel ante perorationem.

Præterea advertendum, non esse locum amplificationi in re qualibet; si enim minoris sit momenti, quid ageret amplificatio, nisi ut elephantem faceret ex musca cum indignatione Auditorum. Unde monet Author, ut ad amplificationem adhibeantur, quæ vel *naturâ suâ*, vel *usu & æstimatione* hominum sunt *magna*: naturâ quidem, ut cœlestia, divina, quæ causas admirabiles, minusque notas habent: usu verò, quæ hominibus videntur prodesse, aut obesse vehementius, ut religio, salus animæ, vita, res familiaris, bonum nomen, pax, patria, parentes, &c. Rursum attendendum, quo affectu homines, ad quos dicturus es, moveantur, & ducantur, quidam enim honestate, & alii utilitate, alii jucunditate capiuntur. Aliis rebus juvenes, aliis senes, aliis viri, aliis fœminæ, aliis barbari moribus, & feri, aliis culti, & urbani, aliis nobiles, aliis rudes, aliis sapientes, & docti. Hinc cognita Auditorum dispositione cogitandum, quibus argumentis, & figuris affectus ille excitari posset: apta esca pisci jacienda in hamo, ut capiatur, cum non cuilibet sit

eadem. Hinc non inutilem se suscepisse laborem sunt arbitrati, qui naturas, & mores hominum descripserunt in Oratoris institutione ut P. Franc. Romanus in sacro Ecclesiae l. 2. sect. 3. c. 4. P. Masen in Palæstra Oratoria. P. Caufinus l. 12. c. 3. & 4. Atque ut rem redderent faciliorem Oratori, declararunt iidem, quâ ratione, & modo quilibet in particulari affectus suscitari, aut everti possit, v. g. amor, odium, timor, tristitia &c. Vide Caufinum l. 8. toto. P. Masen loc. cit. & P. Roman. c. 3. ex quo solum breviter adjicio, quæ habet de *monu delectationis* lib. cit. sect. 4. quam per universam dictionem admiscere debet Orator. Nam ut ait Quintilian. qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt. Et teste S. August. qui declaratione est affectus, facile, quo volueris, ducitur, nemo flectitur, si molestè audit. Fit autem universim loquendo Per res, quæ animi facultatem aliquam, aut sensum voluptate afficiunt. v. g. intellectum res novæ, variæ, admirabiles, occultæ, acutæ, inexpectatæ, jucundæ, ut sunt fabulæ, historiarum rei propositæ deservientes, concinna rerum inventarum dispositio, & ordo. Voluntatem, bonum, pulchrum, amabile. Virtutis, & honoris fulgor, doctrinæ dignitas, utilitas, decor. Appetitum sensitivum bona presentia, aut futura delectabilia cum securitate omnimodi absentis, quemadmodum in Cœlis eveniet. Quæ externos sensus demulceant nemo nescit, ut florida prata, horti per-

de mo-
nu dele-
ctatio-
nis ad
atten-
tionem
requisi-
ta.

amoni

amœni, concentus Musicus, dapes opipatæ.
 Hinc delectant illustres Metaphoræ, allego-
 riæ, descriptiones, prosopopæjæ, similitudines
 &c. Quibus res non tam referri, quàm sentiri
 oculis, auribus, reliquisque sensibus videtur.
 Aurium autem singulare delictum est ad nu-
 meros Oratoris aptè concinnata oratio, pla-
 nè suaviterque decurrens atque cadens, cui
 & vox pronunciantis sit conformata: oculo-
 rum verò actio, atque gestus ad vivum omnia
 repræsentans. Hic

Notandum venit, ut absint profani amo-
 ris, & corporeæ pulchritudinis exempla, pro-
 prietates, descriptiones; hæc enim naturam
 ad vitium aliunde proclivem irretiunt, &
 maculant. Absint item sales, & joci rusti-
 ci, atque inconditi; hæc enim dedecent virum
 gravem, qualis est Orator. Denique affecta-
 tio in verbis exquisitis nimium, ut poëticiis,
 & antiquatis in manifesta ornatûs affecta-
 tione, & spumeo verborum apparatu, in
 pronuntiatione, & gestu; odiosa est enim
 omnis affectatio, & assentatio. Addendum
 hoc loco censui de admiratione, quæ ad
 attentionem requiritur, & sine qua, ut ait
 Cicero de claris Orator, eloquentia nulla est.
 Oritur hæc primò ex ignoratione: miramur
 enim effectum, cujus causam nescimus: De-
 inde ex rei magnitudine, & excellentia, quæ
 sublimior esse demonstratur, quàm commu-
 nis fert opinio. Item ex rei novitate, atque
 nusitata procreatione, cujus inconsideratio

De ad-
 mirati-
 onis af-
 fectu.

facit, ut etiam miracula assiduitate vilescant. Parit & admirationem in rebus simplicibus, atque notis sola Oratoris ars, in artificiosa, atque inexpectata causarum redditione, in non vulgari pronuntiatione, & gestu, quo non admiratio solum, sed & plausus excitari solet. Figura sustentationis, seu suspensionis hic frequens est, quando præfatur Orator, non esse tam facile rei præsentis reddere rationem; unde refellit eas, quæ afferri possunt, aut afferuntur, neque esse tam vilem pro ut existimatur, vel absolutè vel facta comparatione cum aliis. Postremum est, quod monitum velim Oratorem, ut deducta jam ad longum confirmatione, dispiciat, quis affectus materiæ congruat. An amoris, odii, imitationis, fugæ &c. Quomodo rei illi affecti sint Auditores, quænam obstacula illis ex animo evellenda (quæ per modum objectionis proponuntur, & confutantur per figuram anteoccupationem) ad hunc affectum, & quibus igniculis subjectis, aut quo ariete excutiendus sit? Ad elocutionem plurimum juvat rem probatam meditatione expendisse, atque in se affectum illum excitasse, tum enim affectu in meditatione hausto tumida, aut ardens scribetur amplificatio. Hoc ipsum præstare potest attenta lectio Authoris, v. g. Ciceronis aut Chrysof. qui affectum illum tractavit: (exempla videri possunt apud Causinum, l. 8. & 16.) sic enim imbutus atque inflammatus animus similia effundet. Ex quo & hoc eveniet, ut in agendo,
pro-

& pronuntiando res ab animo procedere videatur, itaque nos sentire, quemadmodum loquimur, quod ad motum non parum confert. Unde monet Quintilianus. Non agamus rem quasi alienam, sed assumamus parum per illum dolorem &c. Quia, ut Horatius in arte: si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi. Unde ut iterum Fabius loquitur, summa circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur & ipsi, quod optimè, ut dixi, meditatione, atque lectione perficitur.

SUPPLEMENTUM II.

ad lib. 2. à cap. I.

De ordine seu dispositione partium in Oratione.

De dispositione argumentorum ad inventorum actum est supra mox post locos explicatos, idque propter faciliorem Tironis praxim, ut adverteret, quid post excogitatum argumentum facere ipsum oporteat, nempe in aliquam argumentationis formam redigere, tum verò oratoriè eloqui. Dissimulata est interim totius orationis dispositio, quò videlicet ipsas argumentationes referre oporteat, eò quòd satis videatur tempestivum, ipsum hòc nosse, postquam in quorumlibet argumentorum inventionem, argumentationem, & elocutionem satis versatus est: non secus atque Tironi in arte pingendi satis est aggredi totius corporis efformationem, postquam in

par-

partibus singulis expingendis satis est versatus. Et verò quemadmodum huic designare totius hominis imaginem principio, est imaginationem ejus confundere, cum nescit quid primum, & quomodo unumquodque sit effigiandum, sic, & Tironi evenit Eloquentiæ, veluti compertum est in iis, quibus mox initio Rhetoricæ totius orationis thema assignatum est. Nimirum alius ordo, doctrinæ est, alius praxeos, quippe alius ordo in intentione alius in executione. Unde etiam juxta doctrinam Ciceronis ultimo excogitandum exordium, quòd primò faciendum, & dicendum, sed in mea causa satis, ad rem accedo, in qua cum præter palatium eloquentiæ, Causinum, P. Masen, & P. Martinus Ducygne, & P. Pompeii in Candidato Eloquentiæ jam propè omnia expresserint, breviter ponam, quæ Authori congruunt, ne in re necessaria & ultimè intentæ Tironi defuisse videar.

§. I. De Exordio Orationis.

Oratio est sermo constans exordio, narratione, confirmatione, & epilogo. Quatuor igitur ejus sunt partes, de quibus jam aliquid dicturus sum. *Exordium* est ingressus qui nam ad rem quæstionemve, quam tractaturi sumus; disponitur enim per illud Auditor ad benevolè, attentèque audiendum. Unde concilianda attentio, & benevolentia. Et in causa quidem, seu quæstione & materia honesta, utili, magna, per se benevoli & attentissimi sunt. Non item in dubia, obscura, & humili, dubia enim

enim cum habeat rationes in utramq; partem, potest fieri, ut auditor contrariâ nostrâ sententiâ sit præoccupatus, ideoque benevolè trahendus, ut affectum sensumque suum deponat. Obscura verò causa, cum fortè nec quoad quæstionem intelligatur, negligitur, Humilis autem, cum vilis sit, vilipenditur, unde ut de iis audiatur orator, *attentionem* excitare necesse habet. Quandoque etiam *insinuatione* opus est, quando causa sic est admirabilis. ut appareat incredibilis, aut falsa, aut erronea, quod itidem factu opus est, quando materia quæstionis turpis videtur esse. *Est autem insinuatio* exordiendi ratio, & modus, quo non apertè proponimus quid dicturi simus, sed per ambages, & cuniculos, quibus callidè affectum, & sensum auditoris occupamus, ut hac super re nos audiat: quod etiam factitandum toties, quoties Auditores fatigati sunt audiendo, modis lib. 2. c. 3. præscriptis. Est igitur insinuatio quando occultè paratur benevolentia, & attentio. Quando autem apertè *principium* Ciceroni dicitur. Ex his patet exordiorum hoc sæculo exiguam esse necessitatem, cum enim ultrò veniant Auditores, ad audiendum de re præsertim jucunda, grata, utili, honesta, libenter audiunt. Unde sufficit, si reddantur dociles, factâ rei clara, & apertâ propositione, de qua acturi sumus. Ne tamen sine petita audientia irruere videamur in aurium fores velitationis instar, aut præludii Musici, præmittitur aliquid quod

cum

cum re, de qua acturi sumus connexum est, ex quo aptè & sensim ad propositionem delabamur. Cavendum nihilominus in his, ne offendatur animus, & aures auditoris in principio. Unde rectè monetur c. 4. ut *exordia sint accurata*, id est, elaborata studio, & diligentia, ut sint *acuta*, id est, ingeniosa, inexpectatum aliquid, vel quoad materiam, vel formam habeant; sint *instructa sententiis* & *apta verbis*, id est, habeant figuras verborum & sententiarum, quibus lenes cieantur affectus, numerumque Oratorium, quò ad illicitum aurium aptè cadant verba. Sint *Causarum propria*: id est ex visceribus quæstionis, seu ex prædicato, & subjecto quæstionis fiant. Unde assumendum pro ingressu tale quid, quod per se, & ex natura sua connexum est cum quæstione, seu propositione; non verò quod remotum est & longè petatum, ut velut per crines trahendum sit ad rem proponendam. Servit hic quæstionem finitam revocare ad infinitum seu thesaurum ut probaturus S. Ignatium beneficium fuisse per litterarum restauratum vigorem, formatis hunc syllogismum. Beneficio reddenda sunt gratia, sed S. Ignatius fuit beneficus per litteras restauratas, ergo. Propositionem seu majorem sume pro exordio. Minorem pro confirmatione, demonstrata singula, & aptè connexa erit confirmatio, & propositio cum exordio. Valent etiam hic adjuncta temporis, loci, solennitatis, personarum, quæ dicit, & ad quam confide-

rata. Item contraria, ut vitium cum sit turpe, virtus erit laudabilis. Quæ ab exemplis, proverbiiis, sententiisque, aut symbolis ducuntur exordia, ex loco sunt intrinseco causæ, ideoque non ex visceribus. Si tamen assumantur, videndum, ut apta fiat, & connaturalis, non violenta applicatio. Hinc *vitiosa exordia* sunt *vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, & contra præcepta.* vulgare, est, quod ad alias orationes etiam valet, non tamen pro adversarii causa. Commune autem est, quo etiam adversarius uti potest pro sua causa, seu quæstione, ita tamen ut nihil mutetur; quod si enim mutetur aliquid, dicitur Commutabile. Longum est, quod debitam proportionem excedit: proportio sumenda est ab homine: caput exordium est, corpus confirmatio; monstruosum est exordium, quod propter parvitatem, aut magnitudinem corpori non conformatur; separatum est, quod neque ex natura sua, neque per artis applicationem convenit cum statu quæstionis, & propositione. Translatum est, quod non tantum non est ad propositam quæstionem, sicut separatum, sed ex quo planè toto cælo aliud quid sequitur. Denique contra præcepta: quod suo loco, & tempore non observat leges, quæ de concilianda attentione, benevolentia, insinuatione &c. dantur.

Nota propositionem, & insinuationem, si quando ea utendum est, non esse partem orationis.

tio-

454. *Supplementum lib. I. ad cap. 33.*
tionis, sed partem exordii; propositio autem
est pars exordii per se, quia semper necessaria
ad docilitatem, insinuatio autem per accidens
si nimirum materia sit admirabilis, & turpis,

§. II, *De Narratione.*

Narratio est oratio exponens rem factam,
vel quasi factam, dixi, quasi *factam*, ut & fa-
bulæ comprehendantur sub illa. Est duplex
alia simpliciter necessaria, sine qua causa seu
status quæstionis explicari non potest, ut fit
in genere judiciali, exemplum est in Milo-
niana. Alia secundum aliquid necessaria, ut
dum in genere demonstrativo virtutes pro-
bamus per res gestas, quas referimus, cujus
exempla inveniuntur in plerisque orationibus
Peripiniani, Tarquinii, Gallutii, Mureti,
Vernulæi &c.

Vitia narrationis sunt 1. si res nimis e-
nucleentur, & à primis principiis arcessan-
tur, narrenturque cum otiosis adjunctis,
ut si narrare velles, quâ ratione Julius Cz-
sar dictaturam perpetuam invaserit; ordiaris
dicere de Romuli & Remi origine, prima
Romæ constitutione, præterea adjungas,
quâ ratione milites tractare solitus fuerit,
quæ domi privatim cum civibus, & exteris
solitus sit facere, quæ omnia ad rem nec au-
gendam, nec minuendam faciunt. 2. Vitium
est, si crebræ nimis parentheses, & prolizæ
adhibeantur; ut, si narres raptum Hele-
næ, interponas per parentheses, quanta bo-
na

na & mala ex navigatione orbi proveniant. Hæ digressiones otiosæ sunt. 3. Verborum, sententiarumque Ambiguitas. ut Ajo te Aaciden Romanos vincere posse, quod Pyrrho responsum est ab oraculo Delphico. 4. quando personæ & res diversæ simul narrantur, & confunduntur, ut Auditores non satis intelligant, ab hocne potius, vel ab illo. hoc vel illud factum sit. Oportet videlicet, ubi plura narranda sunt, non omnia in unum congerere, & miscere, sed partiri & ordine referre. 5. si narrentur incredibilia: talia autem etiam sunt, quæ vera sunt, si fiat suprâ captum eorum, apud quos narras; ut si apud imperitos Mathesecos narres currus inventos esse. qui velit & vento acti tanta ferant pondera, quanta ab equis tracti: dicas præterea Maris arenam, totius Messis grana, guttas Oceani numerari posse. Hæc etsi certissimo possint, rudes tamen, quod non capiunt, non credunt. Afferenda sunt igitur quæ probabilia putat Auditor. 6. est dictio humilis, & obscura; ut si crimen atrox, & cruentum expressurus dicas: vide & obstupescite grande facinus, hic musculus panem rosit. 7. ejusdem rei crebra repetitio; ut si mera incendia & flammæ adferam, quasi res aliter exprimi non posset.

Inter virtutes narrationis prima est brevisitas: est autem brevis narratio quæ nihil continet, quò detractò, sensus idem, eademque.

demque claritas narrationis mutetur ; et si
 in magnam molem excrescat. E diverso
 longa est narratio pauculis etiam contenta,
 si intrudantur superflua, id est, quæ sine dam-
 no sensus, & claritatis abesse possunt. 2. *Vir-*
tus est perspicuitas, quæ elucet si utamur
 verbis propriis rem clarè & simpliciter ex-
 primentibus : aut certè si tropis & figuris
 utamur, sic utamur, ut rem non obscurant,
 aut reddant ambiguum, sed potius decla-
 rent 1. *Est probabilitas*, potest ea juxta Cice-
 ronem peti ; & à nomine personæ, ut Ci-
 cero pro Roscio Amerino, numer. 17. Nam duo
 isti sunt &c. 2. à natura ejus, de quo narra-
 tur, an videlicet timidus sit, an audax ; bonus
 an malus, doctus an ignarus, ut pro Milone,
 numer. 25. ubi vidit &c. 3. ab educatio-
 ne, ut pro Amerino numer. 11, 12 & 13.
 Unus in re paulò minus consideratus &c.
 4. a fortuna, ut à nobilitate, vel obscu-
 ritate, an dives sit, an pauper, ut pro
 Amerino, numer. 15. Sextus Roscius &c.
 5. ab affectione, seu quibus ille motibus la-
 borare solet, ut pro Ligatio, numer. 3. quæ
 audita, &c. 6. à studio seu animi applicatio-
 ne, ut pro Archia, numer. 5. Ut primum ex
 pueris excessit. 7. è factò, ut pro Milone,
 numer. 24. Subitò reliquit. 8. ab ejus di-
 ctis, ut pro Milone, numer. 25. palàm age-
 re capit, &c. 9. à casu, ut pro Ligatio
 n. 5. bellum subitò exarsit, 10. ab ætate ; expo-
 nendo an senex, an juvenis. Fit etiam pro-
 babilis

habilis à tempore & loco ; item si exponan-
 tur bausæ facti , item si adducantur , quæ
 cum opinione hominum sunt conjuncta :
 quæ omnia patent in Miloniana. Non me-
 diocre autem pondus habet , auctoritas
 narrantis , & nota vita , de quo narratur ,
 ut Cicero de Verre &c. 4. *Virtus narra-
 tionis est suavitas.* quæ adest , quando mag-
 na , nova , inaudita adducuntur. ut Philip.
 3. numer. 3. Cæsar. Pro Cluentio. num.
 15. ô mulieris scelus ? &c. 2. conducunt
 subjectiones inexpectatæ , ut pro Cluentio
 numer. 12. Cùm essentæ nuptiæ &c. Fre-
 quentissimum est hoc in Verrinis , ut cùm
 Cicero dicit : quid putatis eum fecisse ? for-
 tassis expectabitis furtum ? aut expilationem
 aliquam ? &c. postea subijcit aliquid , quod
 gravius est. 3. exitus inopinati, sive latti , &
 felices, sive tristes , & luctuosi magna gratiâ
 afficiunt orationes. 4. animi motus , seu affe-
 ctus narrationi interpositi : quod fieri potest
 dupliciter : vel enim ejus affectus narrantur
 de quo nobis sermo est, quâ v. g. irâ , libidine
 &c. hoc egerit vel certè ipsi inter narrandum
 concitamus in auditoribus motus ; ut Cice-
 ro pro Cluentio numer. 12. & pro Roscio.
 numer. 74. apud Quintilianum declamat. 6.
 5. Colloquia personarum per sermocinatio-
 nem in narratione inductam , ut in Ver-
 rin. 3. numer. 63. oppidum est
 in Helesponto , &c.

§. 3. De Confirmatione in qua & Confutatio.

Huc referuntur argumenta, quæ ad fidem faciendam pro statu quæstionis sunt excogitata. Si quæstio sit infinita, possunt poni eo ordine, quo positi sunt loci: Si sit finita, tum juxta caput 15. lib. 2. ponuntur firmissima in principio quæ excellent, in extremo loco, mediocria in medio, vitiosa nullibi. Potest etiam observari ordo temporis, ut in exornatione personæ, agi potest de rebus ante vitam, in vita, post vitam gestis, vel ordo naturæ aut dignitatis: solemus à levioribus & facilioribus ad graviora & difficiliora; à planioribus, & notis ad obscuriora, & intricata, à minoribus ad majora progredi. In refutationibus ordo plerumque servatur ab adversario constitutus. Non differt autem confutatio ab ipsa confirmatione, quippe dum aliena refellimus, nostra confirmamus, patet id in Oratione pro Murena. Confutari solent argumenta adversarii, si ostendatur repugnantia quoad tempus, aut locum, v. g. cædem factam Romæ ab eo, qui tunc Venetiis fuit, vel quo ad personæ indolem & mores, v. g. ab optimè educato, aut divite factum furtum: aut si arguatur adversarius malè intulisse: v. g. Milonem insidiatum esse Clodio, quòd publico abstinerit, cum inferri debuisset, idcirco publico absti-

abstinuisse, nè insidias struxisse videretur. Afferuntur & hi refutationis modi à Quintiliano, & Cicerone, & cùm aliqua propositionum negatur, falsitate per aliquam rationem ostensâ, ut Cicero facit in Miloniana; negant fas esse lucem intueri &c. aut cùm iis admissis, conclusio negatur: aut si contra firmam argumentationem, alia æquè firma, aut firmior opponitur; aut elevatione ridentur adversarii argumenta per ironiam, exclamationem &c. Elevantur autem argumenta, quando ostenditur quòd nimis multum probent; sicut infirmantur, quando parum probare eadem docet Orator. Quæ verò dicendo refutari non possunt, quasi fastidendo tanquam levia, & refutatione indigna calcamus, aut excusamus per imprudentiam ætatis, sexûs &c. Serviunt hæc ad ea, quæ non tantum ab adversario objecta sunt, sed etiam quæ objici possunt à populi contrario sensu.



§. IV, *De Peroratione.*

Hæc est totius orationis conclusio. Fit aut enumeratione aut amplificatione. De amplificatione jam dictum est supra supplemento 1. Enumeratio est brevis repetitio eorum argumentorum quæ in confirmatione deducta sunt, cui tunc maxime dandus locus, quando longior fuit oratio. Et hic quidem cavendum, nè minuta repetantur, sed gravissima quæque, & in quibus momenti plurimum, ac totius causæ firmamentum fuit.

§. V. *Praxis totius Orationis Con-
ficienda.*

Suppositâ notitiâ præceptorum, quæ hæcenus de locis, argumentis, & argumentationibus, tropis, figuris, & amplificationibus sunt explicata, 1. ex omni rerum farragine, (materia enim Oratoris, sunt res universæ:) seligat aliquam, & de ea quæstionem instituat, v. g. an Rhetorica sit utilis, & jucunda? hanc bene expendat, simplex ne sit, an composita, verbis propriis, an translatis prolata. 2. dispiciat, quibus rationibus, seu argumentis partem affirmativam, vel negativam probet, quæ ut inveniantur, eundem est per locos Rhetoricos, qui sunt argumentorum sedes; ex iis deligat, quæ
va-

valentiora sunt, quæ infirmiora, aut dubia
reiciat. 3. ex argumentis argumentationem
conficiat v. g. syllogisimum, vel enthy-
mema, quorum praxis explicata est supra. 4.
Argumentationes certo ordine collocet, ut
aciem instruat ad victoriam, seu persuaden-
dum, quis autem ordo servari debeat jam
dictum. §. 3. Ubi tamen te monitum ite-
rum velim, ut argumenta quæ ad fidem faci-
endam, seu convincendum intellectum tan-
tùm faciunt, confirmationi inserantur; quæ
ad motum seu assensum voluntatis epilogo,
aut post rem probatam; quæ benevolentia, &
attentioni conciliandæ deserviunt, exordium
occupent. 5. accedat elocutio argumentor-
um, seu deductio per tropos, figuras, & nu-
merum oratorium. Illud autem potissimum
amplificetur, quod est robur potissimum
nostræ sententiæ ad persuadendum. Denique
advertat, quis stylus seu character ac genus
dicendi, materiæ & fini tuo conveniat juxta
dicta de triplici dicendi genere post numerum
Oratorium. Porro an compositio re ipsâ
ab exordio vel à confirmatione sit inchoan-
da, relinquatur cujusque arbitrio. Quin-
tilianus cum Antonio a confir-
matione incipiendum ex-
istimat.

* *

Ii 3

PA-

P A R A D I G M A

Praxeos dictæ.

S E U

O R A T I O,

In qua probatur S. Ignatium Societatis Jesu auctorem gratitudinis titulo colendum, quod litterarum florem & splendorem reduxerit.

Itaque

Q Uæstio erit, an S. Ignatius titulo gratitudinis sit colendus? Pro affirmativa parte affertur *Ratio seu argumentum* ab effectis: quia litterarum florem, & splendorem reduxit. Hinc sequens conficitur *Syllogismus*. Gratitude pro beneficiis est præstanda, sed S. Ignatius ingens contulit beneficium, Ergo illi gratio præstanda est *Ratio* quæ pro demonstranda propositione, seu *major* tractatur, est, quia gratio est virtus quemvis hominem decens, & ab ipsis brutis exercita; Ingratitudo autem vitium turpissimum. *Assumptio*, seu *minor* probatur, quia litterarum vigorem, & splen-

plendorem orbem orbi restituit. Sed hoc ingens est beneficium, quod probatur iterum, & quidem argumento triplici. 1. Ex artium liberalium præstantia secundum se. 2. Comparatione cum aliis bonis, quæ omnia litterarum peritia superat. 3. Quia litteræ ex instituto S. Ignatii gratuito docentur.

Dispositio est hæc. Major syllogismi principalis tractatur in exordio cum suis probationibus. Minor itidem cum suo triplici argumento in Confirmatione, Complexio in Epilogo.

Elocutio, seu character dicendi hic erit medius intra infimum, & summum; Non enim in docendo solum consistit oratio; neque mens est exprobrandi ingratitude quibusdam, cum odiosum sit, sed allicien- di suaviter ad id, quod æquum est, præstan- dum.

Si quantum assidui ingenuarum facul-
tatum estis affectatores, tantum nobilissi-
mæ virtutis cognitionem animo vestro com-
bibistis. AA. non difficilem hodie nactus
sum provinciam, dum gratitudinis studio
in D. Pattiarcham Ignatium, vos tene-
ri, ac flagrare concupisco: Promptos e-
nim atque expeditos ad eam complecten-
dam eos esse, est necessè, qui virtutis

Exor-
dium.

pretium, ac pulchritudinem cognitam, & perspectam penitus habent. Tanta namque illius est vis, atque potestas, ut formam illius, amabilitatem, & honestatem intuenti, non possit non esse in desiderio, in votis, in amore; quin rapiat unumquemque in sui cupiditatem, & amplexum. Hinc est, quod gratitudinem nemo nisi barbarus, nemo nisi ferus, atque illius ignarus refugit, & repudiat: quippe quæ honestarum inter actionum exercitationes non postrema duntaxat est, sed reliquarum decus, & ornamentum. Ut enim ingrati animi vitium turpissima labe hominem inficit, nulli non odio atque averfioni reddit obnoxium; ita memoris ob acceptam gratiam animus, nulli non reddit amabilem, nullò non favore, ac novis etiam beneficiis condignum. Hæc est una virtus, cum sapientum eloquentissimo, & eloquentium sapientissimo loquor Tullio, non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives? qui belli, qui domi de patria bene merentes? nisi qui patriæ beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes? nisi qui meritam (superis) gratiam justis honoribus, & memori mente persolvunt? quæ potest esse iucunditas vitæ sublatis amicitis? quæ porro amicitia potest esse inter ingratos? quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educa-

oratio.
pro
plancio
§. 80.

Cic. de
diis im-
mortalibus
habet.

tores,
cui no
aut
verfe
nunc
ciis f
riâ,
dem
quã
vole
tam
quã
indi
titu
lii f
Are
mer
qua
den
ben
avil
qua
ricu
libe
tur
in
fat
A
sã
ru
cu

tores, cui non Magistri sui, atque Doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus est, aut doctus, cum grata recordatione in mente versetur? cuius opes tantæ esse possunt, aut nunquam fuerunt, quæ sinè multorum officiis stare possint? quæ certè sublatâ memoriâ, & gratiâ nulla extare possunt. Equidem nîl tam proprium hominis existimo, quàm non modò beneficio, sed etiam benevolentix significatione alligari, nihil portò tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare, quod ingratiitudinis sit vitio. Hæc cum gravissima Tullii sint effata, quid est quod dicam amplius Ares; Addâ amè pace illius. Quando monumentis veterum comperio Androdum, postquam Leoni spinam è pede sustulerat, ab eodem enutritum; Virginem apud sessam urbem, postquam aquilam educarat, ab eadem avibus, & ferinâ pastam; Messorem, postquam aquilam, serpenti implicitam, vitæ periculò exemisset, ab eadem venenato poculo liberatum. Jam enim dicere audeo ingratum, non hominem solum exuisse, sed belluis immaniolem, feris ferociorem, brutis insensatiorum existere. Verùm quid ego vobis A A. Ista recolo, qui hæc, & his plura, studiosâ mente dudum complexi estis. Humaniorum literarum mansuetiorumque Musarum cultores estis, quid à vobis humanitatem re-

Gellius

l. 5. c. 4.

Plini-

us l. 8. c.

17. Pli-

nius l.

10. c. 5.

Ælia-

nus l.

17. c.

17. de

anim.

quiram? quid gratias repositam; quid immane, ac ferum ingratitude scelus abigam? Hoc igitur mearum solum erit partium, commonstrare, cui grati animi vicem, & obsequium rependere, & exhibere vos oporteat. Hunc dum Ignatium de Lojola ingenuarum artium postliminio reductorem, scientiarum omnium restauratorem, docere enitar, istam primum ab universis gratiam efflagito, ut ingens atque eximium ab eo in reducto literarum vigore, ac splendore beneficium præstitum, gratâ mente, atque auribus libeat cognoscere.

In confirmati-
one syllogis-
mus hic tractatur. Ignatius literarum vigorem præstituit: sed hoc est ingens bonum & beneficium, ergo.

Non exilem, ac tenuem litteras inter, & pietatem; scientias ac Religionem esse nexum & vinculum, vel indè sit manifestum, quòd una intercedente, intercedat & altera; unâ inclarescente, & altera inclarescat: sive quòd à pietate ad omnia utili artes suum desumant robur, & vigorem; sive quòd litteræ facem præferant ad pietatis incentivum, quando cæcas hominum mentes illustrent, ut perspectâ vitiorum fæditate, virtutisque nitore, illa refugiant, istam complectantur. Compertum sanè, florentibus in Græcia, atque Italia scientiarum studiis, viguisse pariter æquitatem, triumphâsse fortitudinem, cultam esse temperantiam, floruisse religionem, reliquasque virtutes: litteris verò inter bellum tumultus præfocatis, virtutes pariter extinctas, ac vitiorum omnium sobolem subnatam esse. Quid est, vos ipsi dicite AA. quod

in Romana Petri sede evenisse magis doleamus, quàm memoremus, unde tanta avaritia, tanta ambitionis, tanta Veneræ luis graffata progenies? unde alia immanissima ebrietatum, rapinarum, sacrilegiorum, crudelitatum monstra, quæ turpe sit commemorare; nisi quod artium ingenuarum obsolevisset vigor, ingeniorum prætermissa cultura? Non mansuetiorum disciplinarum tractatio in Grammatico, non eloquentiæ exercitatio in Oratore, non veritatis studium in Philosopho, non legum peritia in Magistratu, nec in ipso rebus sacris devoto Clero, ac Cœnobita divinarum rerum, sacræque paginæ cognitio enitebat. Latinæ linguæ, si quis tamen erat in pauculis, corruptus usus, artis metricæ claudicans, & incondita compago, elocutionis Oratoriæ inepta, incompta, hiulca, atq; vaga structura, rerum in natura labentium ignorantia, jurisprudentiæ contemptus, sacrarum litterarum inscitia. Non erat qui assequendæ ad apicem usque scientiæ flagraret cupiditate; sed & vix comperire erat unum aliquem, qui ad amissum tradere nõsset condiscere volenti. Piget, pudetque effari eò dedecoris sacrum Claustralium nomen decidisse, ut indoctum aliquem notaturi nasum Rhinocerotis gestantes fidei orthodoxæ obtrectatores, rudiorum monacho asserere non vererentur. O miseram! ô deplorandam Ecclesiæ conditionem! quò religionis clarissima illa lux? quò pietatis ardor? quò rerum humanarum, divinarum-

narum-

narumque claritudo ? cum litteris collapsa
omnia, omnia conssepulta. Quid ageret hic
Ignatius, cujus pectori, atque animo hæc re-
rum facies infandum concitabat dolorem ;
quæ ruinæ tantæ restitutionem moliretur ?
mores Christiano homine dignos in Christi
lætum ut induceret, mens erat princeps; ex-
scindere vitiorum infelix lolium, inserere vir-
tutes potissimum insederat animo ; sed quod
hæc exequi in orbe tam rudi, & ignaro opus
foret perarduum, pietati literas, religioni ar-
tes honestas conjunxit, quarum adminiculo,
exculta atque illustrata hominum ingenia, ad
virtutis formam, ad fidei tutelam forent ha-
biliore. Ludum igitur literarum aperuit,
Magistros suo è corpore statuit, ab infimo
Grammaticæ pulvere ad scientiarum cul-
men decurrendi opportunitatem stabilivit.
O quantum mox Romani Græcique ser-
monis pretium, quantus discendi ardor,
quantum legendi, scribendique studium,
quam prænobiles in pangendo fingendoque
Vates, quam disertis Oratores, quam præcel-
lentes Historiographi scriptoresque sunt
enati ut decem pluraque non viderint sæcu-
la tam illustres ingeniorum partus typo vul-
gatos, quod unum ab Ignatio sæculum. Tum
etenim Divinitatis arcana scrutabatur Theo-
sophi ; sacri Tribunalis Judices implexas
conscientiarum lites adæquabant, contro-
versa verba Divini effata dilucidabant in-
terpretes, eruditis templa sermonibus reso-
nabant ;

nabant, Lycea disceptantium clamoribus :
 theatra instruebantur, scena adornabatut
 ad motum & juventutem in agendo, dicen-
 doque excolendam. Hinc sua linguæ sa-
 cræ, Latine atque Atticæ redire cepit puritas,
 metris nitor, eloquentiæ sacræ, profanæque
 ornamentum, dissertationibus in naturæ in-
 dagine fervor, & æmulatio, scientiarum
 æstimatio, tam quæ medendi, quàm quæ se-
 cundum leges judicandi præbent faculta-
 tem; cælestium denique in Divino volumine
 mysteriorum, rerumque fidei subjectarum
 peritia, nitor, lux, atque splendor. O Her-
 culem novum Ignatium! qui ut hæreseos,
 hydræ instar insolescentis capita præcideret,
 facem scientiarum accendit; ut vitiorum
 sentinam, velut Augiæ stabulum expurgaret,
 invexit non flumen aliquod ignobile, sed Ni-
 lum septenarum artium alveo dimanantem.
 O novum Atlantem Ignatium! qui ut ruen-
 tem in præceps orbem Christianum fulci-
 ret, utrumque succollavit humerum, virtutis
 alterum, alterum liberalium disciplinarum.
 Solem fortè rectiùs compellavero, qui ardo-
 re suo frigida mortalium præcordia, in vir-
 tutis amorem inflammavit, atque luce den-
 tissimam inscitæ caliginem, quæ orbis velut
 Ægyptus in volvebatur, dissipavit, profliga-
 vit. At quantum hoc DEUM immortalem?
 quàm grande, quàm insigne, quamque illu-
 stre bonum, atque domum, nemo satis dicen-
 do, meditandoque assequatur, nisi artium
 singu-

Minor
 confir-
 matio-
 nis.
 grande
 esse be-
 nefici-
 um i. ex
 artium
 præ-
 stantia
 proba-
 tur,

singu-

apud
Cassid.
l. 9. ep.
21.

singularum ab eo reductarum pretium cognoverit. Est Grammatica, Athalarico Rege teste pulcherrimum litterarum fundamentum, mater gloriosa facundia, oris in omnem sermonem formatrix, linguarum clavis, & janua, radix scientiarum, ad omnes enim facultates firmissima parat praesidia: & quis hanc postliminio revexit? Ignatius. Est Poetica dulcissimum ingeniorum oblectamentum, suavissimum animorum dilicium, blandissima aurium Siren, ut quae mirando figmentorum contextu mentem attinet, aureque numero demulcet: sed quis hanc reduxit? Ignatius. Eloquentia est quae triumphat in exedris, dominatur in curiis, gubernat in palatiis, exarmat milites, compescit effrænes iram atque libidine, mœrentibus solatium, dubiis consilium, timidis audaciam, frigidis ardorem, avaris liberalitatem, superbis moderationem ingerit; ac infundit: Et quis hanc flori suo restituit? Ignatius. Philosophia naturae latentis arcana referat, ignota repandit, ingenium exacuit, iudicium informat, memoriam ditat. Est Tullio mater artium, Deorum inventum, affectionum moderatrix, lux animi, vitae dux, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, quae urbes peperit, dissipatos homines in societatem coegit, domiciliis, conjugiiis, & vitae communione junxit: Et quis hanc vigori suo reddidit? Ignatius. Quid ut alias præteream disciplinas, Theosophia? Divinitatis speculum, fidei Pharos,

mo-

Tusc.
9. 5.

morum Magistra, mysteriorum repagulum,
 veritatis orbita, errantium regula, pietatis, &
 vitæ genitrix, regina artium, scientiarum cul-
 men, omnium; & quis hanc consepultam
 propè de tenebris in lucem retraxit? Igna-
 tius. Ignatius disciplinarum omnium huma-
 narum, Divinarumque vindex, auctor, splen-
 dor, & ornamentum. Et quantum vis me-
 dendi, litesque dirimendi facultates, ab eo in-
 ductæ sint nusquam, mansuetiores tamen
 musas cum Aristotilis arcanis implantando,
 viam stravit, facemque prætulit ad easdem,
 & majori numero ac promptiori animo
 complectendas. Agnoscite igitur Audito-
 ros illustre prorsus, eximium & divinum in
 Ignatio beneficium, quid beneficium dico,
 multa dicere me oportebat, tot nimirum,
 quot facultates erexit, quot disciplinas vigori
 suo restituit. Adhuc parum dixi, quando
 tot ab eo profecta ambigere non valco, quot
 artium singularum in genus humanum sunt
 commoda, & emolumenta. Hanc verò be-
 neficientiæ multipliciter mirandum in
 modum auget, & extollit illud, quòd scien-
 tiis tanta insit præstantia, tanta boni possessio,
 quantam non reperias in bonis aliis, quæ for-
 tunc favor, aut humana parit industria. Sunt
 opes immane mortalium bonum, at fortunæ
 casibus subjectæ sunt, ignis voracitatem, in-
 vidi raptorisque injuriam, quod metuant,
 habent. Gloriæ illustris est, & ampla con-
 ditio; sed lubrica: pari sæpe fato cum fortunæ
 bonis, superata

2. Pro-
 batio:
 Mino-
 ris in
 confir-
 matio-
 ne est:
 quia li-
 teræ
 sunt
 bona
 quod
 reliqua
 bona
 bona, superata

bonis evertitur, & non raro ex gloria apice
 remetitur gradum ad ima dedecoris, unde
 surrexit ambitiosus. Formæ decus summis
 votis expetendum; at ævi brevis, morborum
 cariem, imo febriculæ afflatum non eludit.
 Vires corporis res eximia; sed brutis con-
 cessa etiam, & ipsa ad morborum incom-
 moda, ad senectutis languorem emarcescit.
 Eruditio verò omnium quæ in nobis sunt,
 non subjacet casibus, non morbis, non invi-
 dorum, furumque rapinis, non ætatis defe-
 ctui, non corruptioni: immortalis est, incor-
 rupta, inconcussa perstat, & cum ipsa sene-
 ctute fit vegetior, usuque tritior: sola enim se-
 nectus, temporis progressu fit doctior, sapi-
 diorque, & veterum studiorum dulcissimos
 metit fructus veneranda canities. Perspe-
 xit hoc humanissimus ad hoc literarum
 mansuetiorum cultor Nero, quando Senecæ
 Magistro suo professus est referente Tacito:
*Et tua quidem erga me munera dum vita
 suppetet aterna erunt: quæ à me habes, horri-
 et fœnus et villa, casibus obnoxia.* Perspexit
 & constantius quidem Bias sapientum Græ-
 corum unus, qui patriam rebusque suis Vul-
 cano sacratis, urbem egressus pronuntiavit:
omnia mea mecum porto, quod doctrinæ suæ
 jacturam fecisset nullam. Perspexit & Cato
 Romanorum sapiens, quiasseruit apud Tul-
 lium, solas artes esse, quæ in omni ætate cultæ
 nunquam deserunt, quod censuit esse maxi-
 mum. Denique hoc & Hebræorum imò

mor-

mortalium omnium sapientissimus est effatus, meliorem esse sapientiae acquisitionem, negotiatione argenti, & auro purissimo fructus illius; Pretiosior est, prosequitur regum oraculum, cunctis opibus, & omnia quae desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius divitiae & gloria, via eius pulchra, & omnes semitae eius pacificae, lignum vitae est his, qui apprehenderint eam. Animadvertitis? ut sapientissimi Monarchae sensu, non bonorum duntaxat firmissima est eruditio, sed & origo, radix atque fons reliquarum artium; quae in re & ipsemet disseminare non valentis, qui literis vobis rerum peritiam, peritiarum usum, usu famam, famam opes & dignitates peperistis. Quod si igitur iis, à quibus honoris aliquid consecuti estis, à quibus fortunae bona, aut dignitatem adepti, vos obstrictos in perpetuum consentitis, ac memores fore spondetis, ambigere non potestis id, atque amplius largiendum Ignatio. Qui boni vobis author est illius, quod reliqua longo post se relinquit intervallo.

Atque ut amplius munifici Patris amplitudinem perspiciatis, recolite amabo, non unius urbis ergastulo literarum disciplinas esse conclusas ab eo, non Stoae, non Peripato: voluit Lyceorum frequentiam, Doctorum copiam, non minus orbi Christiano quaqua-versum diffuso literis, quam urbi cuique splendore, & famam consulturus, A

quia
gratunō
literae
docentur
abique.

nec hic stitit munificentia ; solis instar, luminis sui radios voluit diffusos undequaque ; ne quis enim opum tenuitatem , rei que familiaris, ad vitæ necessaria, penuriam obtenderet, disciplinarum institutionem, gratuitam, liberalem, omnisque mercedis expertem esse decrevit. Liberales enim artes, liberaliter tradendas arbitrabatur, nec bonum esse concessum solis Cræti, Crassique nepotibus aut Principum Nobiliumve stirpibus ; sed summis æquè ac infimis, nobili atque ignobili, diviti atque inopi. Indè ea vox sapientiæ Lojolææ : *omnes sitientes venite ad aquas (scientiarum) & qui non habetis argentum, properate emite absque argento, absque ulla commutatione* ; nullis hic opus favoribus, non nobili sanguine, non opibus, quibus paretur Gymnasij aditus, aut discendi facultas, non penditur Minerval Minervæ Præsidibus, neque merces doctrinæ Professori ; promptus animus, assidua industria apportetur cum indole capace, & quantum his è fontibus haurire libuerit, licebit. Quàm quidem largitate illud præstitit Ignatius, ut complures sacris coronentur infulis, ut sidera illustrent Ecclesias, rutilent in auro, fulgeant in purpura, moderentur consilia, præsideant tribunali. Respublicas administrant, lites dirimant, animarum & corporum sint Machaones, qui nunquam ad eam præminentiam fuissent eluctati, sed in squalore mendicitatis suæ, aut sortis infimæ contabuissent.

Quam

Quamobrem Ignatio attribuere fas sit illud,
quod Staius Poëta inclitus parëti suo accinuit;

Hinc tibi Vora patrum credi, generosa,
que pubes

Te monitore regi, mores, & facta priorū
Discere.

Mox & Romuleam stirpem proceres,
que futuros

Instruis, inque Patrum vestigia ducere
perstas:

Sub te Dardanius facis explorator e-
pertæ.

Crevit, & indè sacrum didicit.

Et nunc ex illo forsan grege gentibus
alter

Jura dat Eois, alter compescit Iberos,
Alter Achemenium secludit Jeugmate

Persæ,

Hi dices Asiæ populos, hi Pontica fræs
nant,

Hi fora pacificis emendant fascibus, illi
Castra piâ statione tenent. Tu laudis

origo.

Sed vix laudis mentionem hic ego facio: jam adest, qui oggariet illud: non tantum laudis atque gloriæ tribuendum Ignatio, cum artium studia aliunde quam ab Ignatio capeffere fas fuerit, & copia. Extare enim alios in orbe fontes, qui scientiarum fluentia largè propinant. Hæc quidem veritati consona, quis est, qui dicere audeat eo tempore, quo Ignatium literarum restauratorem con-

Anteoccur-
pato &
Confutatio
illius,

rendo? paucis in urbibus artium erat ingenuarum receptaculum, & quo in vigore? & ubinam gentium gratuita manabat literarum scaturigo promiscuè, quando religiosorum in cætibus rara forent capita erudita? multos igitur, imò quàm plurimos viarum, regionumque longinquitas, nec his pauciores æris & auri in mercedem pendendi defectus, inexcultos domi tenuisset. Laus ergo Ignatii non postrema est, tantam nunc esse Lyceorum frequentiam, literatorum copiam, docentium celebritatem, scientiarum florem, studiorum ardorem, gratuitam etiam alicubi institutionem, suâ enim suorumque industriâ hæc invexit, accumulavit, incendit Ignatius, ut proinde aliorum, à quibus scientiæ rivulos haurire potuisse se gloriaris, gloria Ignatio quoque tribuenda videatur. Unde enim tantus non eruditorum solum, sed aliorum quoque in claustris numerus? nisi Lojolæ è disciplina? Unde tantus alius in Athenæis fervor, nisi æmulatione, zeloque concitatus Ignatii? Unde perspicuitas, integritas, & doctrinæ perfectio? & ubi amabò cum literis pietatem, cum artibus virtutera imbibisses, nisi Lojolæ è fontibus? & tamen quid sunt literæ sinè pietate, disciplinæ sinè religione, nisi cor inane, quin telum ac ferrum sæpe in dextera furentis. Scientia inflat præcordia, incendit venas, manus extendit ad ambitionem, ad libidinem, ad rapinas, nisi virtuti locietur. Et verò patiamur

riamur abesse hæc omnia, sinamus ita esse, ut nil vigoris, nil claritudinis, aliorum in facultates ab Ignatio emanarit. Si tamen ipse tu, non aliunde quam Lojoiæis è fontibus emeristi in opes, & honores, ipsi tribuendum hoc laudis & in acceptis referendum non potes inficiari. Etenim si alio è fonte rivulos tibi haurire datum foret, edic, an ingrati animi vicem rependeres? an ab eo te gratiæ habere nihil fateri erubesceres? nil laudis eidem attribueres? Quid est igitur **Epilogus** tur, ut cum id ab Ignatio in te sit derivatum, modò eidem in acceptis ferre repugnes? Absit itaque gloriæ Lojolææ invidia, facessat livor, detur beneficentiæ, tribuatur æquitati, quod gratitudinis ratio; quod lex efflagitat. Et quando alii religionis incrementum, fidei tutelam, ac diffusionem, hæreseos excidium, pietatis fervorem, vitiorum extirpationem, sacramentorum frequentiam, Divorum cultum, Sacri verbi usum, Cænobiorum vigorem, ac florem promanasse non solum fatentur, sed & prædicant: tu literarum splendorem, atque ardorem ab eo profluxisse non diffidere, quin & te hausisse, inde gloriare non ingratus.

Audi quid Basiliius Orientis Imperator, Tom. 5.
Leoni filio in præceptis tradidit: si quos, Biblioth.
inquit natura tibi dedit parentes, debes re- ver. Pat.
vereri; multò magis eos qui te in spiritu c. 6.
DEI per bonas disciplinas genuerunt.

Kk 3

Audi

118 *Supplementum ad Lib. I. cap. 33.*

ad
estium.

Audi Philosophorum Principem, qui plus
etiam Praeceptori tribuendum esse censuit,
quam parentibus, quod hi videndi solum
fuerint Authores, (hoc enim brutis commu-
ne est) iste vero bene beateque vivendi,
quod Angelis, quod Deo proximum est.
Habes vero ab Ignatio non inane solum sci-
entiarum scrutinium, sed refertum pietate,
prae grave virtutibus, quibus & tempori ser-
vias & aeternitati. Fuerit igitur gloriae Chi-
roni Achillem, Atlanti Herculem, Aristoteli
Alexandrum, Plutarcho Trojanum, Frontoni
Antonium, Arsenio Honorium, Ausonio
Gratianum literis imbuisse, fuerint ditati opi-
bus, elati honoribus, culti statuis, quod Sen-
ecae, quod Adriano, quem Carolus V. ad
summum Pontificatum extulit, quod aliis ac-
cidit; tu id solum tribue Ignatio quod D.
Paulinus Ausonio.

Tibi disciplinas, dignitatem, literas
Linguae, ac togae, & famae decus,
Provectus, altus, institutus debeo,
Patrone, Praeceptor, Pater.

ste Ca-
olino in
a illius.

Aut si mavis Antoninum aemulari Cae-
sarem ac Philosophum, qui tantum honoris
Magistris suis detulit, ut imagines eorum au-
reas in Larario haberet, ac sepulchra eorum
additis hostiis, & floribus ornaret; perpetuam
grati animi imaginem in memoria tua depin-
ge, & perenni apud te recordatione conserva
& tuere. (Dixi)

SUP.

SUPPLEMENTUM III.

De Genere demonstrativo, seu exornativo.
ad lib. 1. c. 42. & seq.

Verfatur hoc genus in laudando, vel vituperando personam aliquam, vel ejus factum, vel rem aliquam. Si laudes Cicero- nem, vel Aristotelem, vituperes Catilinam Judam *ad personam* pertinet. Si cædem Goliathi à Davide factam, vel mortem Cicero- nis ab Antonio illatam, *ad facti speciem* per- tinet. Si commendes pietatem, sobrieta- tem, urbem, plantam, deformes superbiam, ebrietatem &c. *rerum* erit *demonstratio*. Argumenta pro hoc genere (universim lo- quendo) non sumuntur aliunde, quam ex locis intrinsecis, & extrinsecis, atque ideo plu- ribus hic opus non foret, quam ad eos lecto- rem revocare. Claritatis tamen, & facilitatis gratiâ in usum Tyronum in particulari aliqua proponam. *In laudatione vel vituperio per- sonarum materia*, seu argumenta sumuntur, 1. à natione, patria; Hæ enim si illustres sint in commendationem personæ conceduntur, si ignobiles, aut infames dedecorant. 2. à parentibus, sive natalibus, ab educatione, ab ipsa natura, seu indole bona vel mala, quam sortitus est. 3. ab ætate, à doctrina, studio; moribus, vitæ genere, aliisque animæ corporis & fortunæ dotibus. 4. à rebus gestis, laude

vel vituperio dignis. 5. ab eventu, seu consequentibus, ut si res gestæ præmio, vel pœnâ, honore & infamâ affectæ sint. 6. à privantibus, morte, seu exitu vitæ. Denique à fama, testimonio scilicet post mortem, vitæ, rerumque cum laude, vel infamia actarum: quò spectant monumenta, statuæ, trophæa &c. Ubi tamen advertendum, sicut & in sequentibus, non esse opus concurrere omnia jam enumerata, sed sufficere horum aliqua,

Laus aut vituperium factorum sumitur. 1. ab honesto, v.g. ostendendo quàm eximia sit dignitas illius, quàm excellens virtus v.g. pietas vel prudentia &c. quàm legibus conformis &c. 2. ab utili quod ex fine seu effectibus metitur. Ut, si factum sit commodum fidei, Patriæ, Magistratui, hominibus presentibus & futuris. 3. à facili, aut difficili, ubi considerantur circumstantiæ. 4. à comparatione parium vel imparium. Ubi adverte, quod de laude dicitur, idem in contrarium accipi posse de vitio. Item si laus aut vituperium angustis circumscribatur limitibus; ad thesin ab hypothesi, seu à particulari ad genus & locum communem posse recurri.

Rerum laus & vituperatio ex iisdem sumuntur fontibus quibus factorum, majoris tamen facilitatis ergò aliquarum in specie exempla proponam, in quibus ipsis, quod de laude dicitur, à contrariis de vituperio dici posse cogitabis.

*Laus animalium, à genere animantium, ubi
ejus*

eius natura formaque externa describitur. 2. à loco habitationis, an apud homines vel ubi libenter versetur. 3. à proprietatibus, & adjunctis, ut canis fidelis, vigil, obediens, artes callens &c. 4. ab effectis seu utilitate & gestis. 5. à mortis eventu.

Laus plantæ, herbae, arboris &c. sumitur 1. à nomine, unde illud apud Græcos aut Latinos habeat, & quotuplex. 2. à forma exteriori & specie multiplici. v.g. lilia alba cærulea, flava, &c. 3. à loco, ubi nascitur, & cultu. 4. à tempore, quò nascitur. 5. ab adjunctis seu proprietatibus naturæ, quale illius temperamentum, siccum an calidum vel utrumque 5. ab effectis usu ab utilitate.

Laus regionum, portuum, locorum, insularum, sumitur à situ & locorum vicinia. 2. ab incolis recentibus & veteribus. 3. à Regibus & Ducibus. 4. à solis & soli qualitate & aëris clementia, quò refertur fertilitas, annonæ copia, fruges, aquæ, flumina, stagna, maria, & in his pisces aliaque animalia, 5. ab urbium frequentia ac claritate, 6. à politia & forma gubernationis, atque institutis, legibus moribus, 7. à cultu Religionis & scientiarum 8. à rebus gestis & virtute bellica. Horum amplificatio sumi potest à comparatione cum aliis.

Laus fluminum & fontium peti potest. 1. ab ortu 2. ab amplificatione, 3. à colore & cursu. 4. à locis quæ alluunt nobilioribus. 5. à piscium copia. 6. à salubritate, & effectis naturalibus.

Commendatio montium, 1. à situ & radicibus. 2. ab iis, quæ in ipsis vel nascuntur, ut sunt herbæ, arbores, vel effodiuntur ut metalla, radices. 3. à feris, quæ in illis degunt. 4. ab arcibus aut turribus, in ea positis, 5. à fontibus indè scaturientibus. 6. ab aliis memorabilibus, prodigiis, aut rebus ibi gestis.

Commendatio urbium, arcium, &c. potest ab antiquitate seu conditoribus. 2. à situ, forma sive partibus. 3. ab ædificiorum structura. 4. ab aëris clementia. 5. à fluminibus, quibus alluitur. 6. ab amœnitate. 7. ab incolarum moribus, virtutibus, studiis. 8. ab opibus & mercatu. 9. à forma politia & senatu. 10. ab Ecclesiis & scholis. 11. a rebus præclatè gestis.

Commendatio adium, templorum, sumi potest 1. ab authore. 2. à situ, & prospectu. 3. à forma & amplitudine. 4. ab usu, cui dicata, seu sine. 5. à partibus. *Hortorum* ex iisdem sumuntur, nisi quod præcipua eorum laus sit ab amœnitate, fertilitate, varietate, præstantia florum, herbarum, arborum &c.

Pompe funebres, triumphales lusoriae &c. commendantur 1. à causis, sive institutionibus. 2. à finibus, quorum causâ instituuntur. 3. à personis, quæ interfuerunt. 4. ab actionibus, & apparatu. 5. à spectaculis, & prodigiis, si quæ exhibita fuerint. Ab his ipsis celebrantur *convivia Pergrinationes* autem potissimum à locis qui illustrati sunt. Hæc de genere demonstrativo in communi dicta sunt, nunc

empla
rum
deri pos-
nt apud
ausinum.

nunc ad aliquas illius species in particulari
descendamus. *Oratio Panegyrica.*

Orationes panegyricæ dictæ sunt illæ, quæ
in publicis conventibus, & certaminibus
Græcorum dicebantur; nunc habentur om-
nes quæ in laudem alicujus vocantur. Dispo-
sitio illius juxta Ciceronem est duplex 1. ser-
vatur ordo temporis, ut cùm recensentur pa-
tria, parentes, educatio, studia, Præceptores, a-
dolescentia, juvenus, virilis ætas, senectus, cū
gestis in earum qualibet, deniq; mors, quæ om-
nia continuo orationis filo pertexuntur. Sic
facit Isocrates in Evagora, Cicero secunda
Philippicâ. Plinius in Panegyrico Trajani.
Hæc tamen ratio nisi multis condiatur gra-
tis, longa est, & tædiola. 2. res universum ge-
stæ in certa capita reducuntur. Sic Cicero
omnem Pompeji laudem ad quatuor Impera-
toris virtutes revocavit. Sic Bencius S. Pauli
ad duo; quod multa pro Deo fecerit, & mul-
ta sit passus. Præter hos modos Recentiorum
ingenium, & solertia alios adinvenit. Uuus
est, qui mens propè conficitur acuminibus &
ingeniosis conceptibus. Sed hic sapienti-
bus, artemque callentibus non probatur, nisi
conceptus ille ad unum aliquem scopum, seu
quæstionem deserviant, ut non sint scopæ
dissolutæ, & nisi stylo numerum sectentur
oratorium, relicto arguto illo Philosophis, &
elogiographis usitato. I. in hoc genere fuit P.
Ferarius noster, cujus oratiunculæ videri pos-
sunt. Alter modus est Cōparationis, ut si Tul-
lium cum Demosthene, S. Xaverium cū Josue
con-

24. *Supplementum lib. 1. ad cap. 33.*
conferas. Hunc modum sectatus est Plutarchus
in vitis Græcorum, & Roman. Sed hic vilior
apparet propter expressam apertè similitudi-
nè. Ingeniosior est ille, qui similitudinè occul-
tè involvit, & dicitur Allegoricus, qui perpe-
tuo similitudinis in volucro virtutes, & gesta
alicujus adumbrat. Sic P. Wadingus S. Ignatiū
expressit per currū Ezechielis, quem quatuor
animalia trahebant. Aquila erat altissima sapi-
entia, rerumq; divinarum contemplatio. Ho-
mo, amor proximi, quo omnibus omnia factus
est, ut omnes lucrifaceret. Bos labor indefessus
in procuranda proximi salute. Leo fortitudo in
adversis. Sic Vernulaeus orat. de S. Thoma duo
templa, sanctitatis unum, alterum sapientiæ e-
rigit, ubi spectandas proponit imagines, exem-
plis sapientiæ & sanctitatis D. Thomæ depic-
tas. Hic exhiberi potest Societas per syntaxim
seu constructionem transitivam & intransiti-
vam, utpote cui nil deest virtutis & perfectio-
nis, quæ sparsim in aliis ordinibus reperiuntur.
& transit ad proximi salutem & perfectionem,
quæ illis deesse videtur. Sic vota religiosa nun-
cupantes Poëtæ dici possunt, quod orationem
suam ligent, seque obligent, idque spiritu En-
theo seu divino, neq; curent, quòd à mundi
affectis Phantastæ habeantur. Porro sicut op-
timæ sunt metaphoræ, in quibus, rebus inani-
matis sensum & vitam damus, sic etiam con-
ceptus allegorici, in quibus per prosopæjam
aliquid ejusmodi illis tribuitur. Ut si conferas
E. Virginem horto, in quo humilitatem im-
plantet

plantet viola, liliū castitas, rosam erubescere
 faciat pudor &c. ubi singulæ virtutes in singu-
 lorum florum schemate produci describique
 possunt. Sic in funebri oratione Ferdinan-
 di II. virtutes ejus præcipuæ funebrem illi
 pompam instruunt. Religio ctuce insignis
 agmina provinciarum, quas Cæsar fidei red-
 didit post se traxit, & ad ejus laudes celebra-
 das induxit. Ejus lipsana tulerunt pietas, animi
 magnitudo, clementia, munificentia, quatum,
 singularum gestus & habitus describitur, si-
 mulq; narrantes inducuntur virtutum exem-
 pla edita. Sic Palatiū Eloquentiæ erectum est à
 Patribus nostris in Gallia, postea Moguntia e-
 ditū, ut patet ex diversis titulis, ad quos si præ-
 fationes legeris & collegeris, facili negotio o-
 rationem confeceris. Hæc adverte, sicut inge-
 niosa est hæc laudandi oratio, si prudenter &
 dilucidè, vitatis verborū, & seruum obscuri-
 tatibus, & quâdã quasi Poësi declinatâ institu-
 atur; sic frigida puerilis, & temeraria efficitur,
 si obiter fiat, si minutiis inhæreatur, & tã sub-
 tiliter volet orator, ut extra conspectū & aures
 Auditoris positus crepare tantū videatur.
 Prospiciendū præterea, ut extrema primis aptè
 respondeant in sensu allegorico, nè cū effi-
 ctione cervi prodeat hircus cervus. *Alius soli-
 dior modus est, & in quo Ciceroniana imitatio
 melius elucere potest, consistit in eo, ut negle-
 cto conceptu allegorico, statum quæstionis,
 tota oratione pertractandum, solidis &
 perperuis argumentationibus probemus, v.g.*
 si ora-

si ora-

si oratio habenda sit de S. Ignatio, tractari
 quæstio potest: an juxta nominis anagram-
 ma fuerit ignis illatus à DEO; de B. Aloysio;
 an fuerit angelus terrestris? Hæc vel simili po-
 sita quæstione excogitantur argumenta, ad
 eam probandam, atque excogitata in varias
 argumentationum species nè unâ eademque
 fastidium creet, constringuntur, quæ in con-
 firmatione oratoriè deducuntur, & exornan-
 tur amplificationibus, tropis, & figuris. Exem-
 plum hujusmodi est in Oratione Ciceronis
 pro lege Manilia, in qua hanc quæstionem for-
 mat: utrum Pompejus sit eligendus in impe-
 ratorem belli? hoc syllogismo pluribus mem-
 bris constante, quot nempe erant argumenta.
 Ille est eligendus in Imperatorem belli, in quo
 est scientia rei militaris, virtus, autoritas &
 felicitas; atqui in Pompejo sunt illa quatuor;
 ergo est in Imperatorem eligendus. Quem syl-
 logismum sic tractat Cicero post exordium.
 Primò ponit propositionem syllogismi sic. E-
 go enim sic existimo in summo Imperatore &c.
 Deinde assumptionis quatuor membra suo or-
 dine sigillatim pertractat. 1. ibi: quis igitur hoc
 homine scientior. 2. Jam vero virtuti Cn.
 Pompeji &c. 3. ibi. Et quoniam autoritas in
 bellis &c. 4. ibi. Reliquum est, ut de felicitate
 dicam. Demum infert generalem totius syl-
 logismi complexionem, ubi breviter mem-
 bra omnia syllogismo toto pertractata com-
 prehenduntur à verbis illis: Quare cum &
 bellum ita necessarium sit &c.

Hu-

Hujusmodi exemplum etiam invenies in P. Tarquinio Gallucio orat. 17. volum. 2. ubi de S. Sylvestro Pontifice, qui baptizavit Constantinum M. probat hunc statum definitionis dictum: An Constantinus verè vocandus sit Pater Christianæ Religionis? ad quod probandum fusè & eleganter deducit hos duos syllogismos: *Primus*: Apostoli dicti sunt Patres Christianæ Religionis, quia per doctrinam Christi multos DEO filios genuerunt: atqui idem studiosissimè fecit Constantinus: ergo debet vocari Pater. *Secundus est*: Illi sunt Patres compellandi, qui patrimonium & hæreditatem filiis suis relinquunt, atqui hoc ipsum fecit Constantinus, ergo. Incipit hic syllogismus ibi: Quos enim parentes dicimus aut hoc nomen cui mortalium impertimur? &c. Conclusio autem tantùm semel ponitur, idque ante secundum syllogismum ibi: Cùm autem id ita sit &c.

Nota t. vehementer hoc tempore displicere, & viris gravibus stomachum movere inanes & affectationibus plenas ingenij extenuitates, quas sinè modo & ratione novelli Oratores passim solent in exordio effundere. Unde illis cavendum ab inutili illo ingenij, doctrinæ, eloquentiæ suæ contemptu: vel enim est tam tenuis, vel non: si non est, ergo laudis ambitionem prætersers. Si est, ut patebit in orationis tuæ decursu, quid te ipsum prostituis. Potius ergo

ergo

ergo eruditum fac exordium cum lenibus affectibus, & ornato verborum apparatu, inde dilucidis verbis propositionem fac, & si opus est partire materiam prætermissa etiam expressa attentionis & benevolentiae petitione; cum exordio erudito & compto, satis attentis benevolisque reddantur Auditores.

Nota 2. non quodvis argumentum in materiam laudis assumendum, siue fallum sit, siue verum, siue dubium, Quod si argumentum tenuè est, ita erit arte extollendum, ut intra veritatis & decentiae terminos permaneat. Et verò mediocris, sed vera laus plus afficit Auditores, quam omnes eminentiae & affectatae exaggerationes: quod vel inde patet, quod eas nemo prudens æqua mente unquam excipiat.

Nota 3. argumenta laudationis plus habere debent floris, quam roboris, magis delectare, quam pugnare; res enim quæ laudis est, per se honesta est, seque ipsam auditori probat. In eo igitur oratoris industria versabitur, ut quæ per se pulchra sunt, elocutionis flore vestita ob oculos ponantur. Valent huc multum definitiones conglobatae, partium enumerationes, similitudines, adjuncta, effecta, contraria, comparationes, sententiae graves, symbola, historiae, exempla &c. Vide Panegyricum Plinii Junioris Trajano dictum. Peripinianum de S. Elisabetha. Modum inveniendi paradoxum aut acutum thema pandit P. Juglaris in Ariadna.

Oratio gratiarum actoria.

Hujus orationis exemplar esse potest Aufonij Panegyricus Gratiano dictus, Orationes Ciceronis pro M. Marcello & post reditum in senatu, & ad Quirites. Virgilij 1. Aeneidos, ubi Æneas Didoni gratias agit. O sola infandos Trojæ miserata labores. &c. Tribus ferè constat partibus: *Exordio seu beneficij expositione*, ubi conceptam animi nostri lætitiã explicamus, vel optamus parem felicitati nostræ eloquentiam, ingenium. v. g. darent Urinam superi parem felicitati meæ, ingenij, eloquendique facultatem, efficerem hodie, ut cum æquale reddere meam excedat tenuitatem, non ingratus beneficium accepisse dicar olim. At enim tale tantumque ut nec vites reperiam, quibus pro dignitate &c.

Altera pars est beneficij amplificatio. Ubi explicandum quale sit beneficium, quam amplum, quam utile. Hic expenditur persona, quæ dedit: Rex, an Princeps? superior vel Dominus? & cui dedit, uni an pluribus, nobili an abjecto? merito an immerito, aut ultra meritum? Item tempus, citone, an tardè? an eo tempore quo minime posset expectari, vel quo ipse, illud dans uti necesse habuisset? præterea modus: non coactè, sed liberaliter, candido promptoque animo, verbis benevolis, nullo cum onere accipientis;

330 *Supplementum ad Lib. I. cap. 33.*
sed grande commodo servit & locus si p^{re}
blica, & in illustrium personarum colla-
tum sit frequentia, inde enim crescit hono-
r accipienti.

Salutatio vel exceptio Principum.

Hæ exceptiones à Græcis vocantur pro-
phonemata, usitatæ hoc tempore orationes,
quas, uti oportet esse breves, ita acutas & flo-
ridas eruditione & stylo. Tribus itidem per-
ficiuntur. 1. explicamus lætitiâ ex adventu,
ubi exponitur, quo affectu pueri & puellæ,
juvenes & senes, non solum obviam venerint,
exceperint, viderint; sed vel audiverint de hoc
adventu. Urbis mania, domorum parietes
&c. si loqui possent &c. contestari superos
ipso die soleque sereno &c. 2. in laudes
hospitis excurrimus, commemorando merita
loco collata, vel illustres ejus virtutes, sed ve-
ras & solidas, prædicamus, cum delectu vero-
borum, & sententiarum. Denique addi-
mus vœta, quibus omnia fausta precamur,
longævitatē, felicitatem, pacem, victoriam,
nostraque ei dedicamus, vitæ annos de
nostris, fortunas, fidelitatem,
promptitudinem, vitam ip-
sam offerentes.

*Gratulatoria officij, dignitatis, victoria, vel
alterius boni.*

In hac *i.* exponimus conceptam lætitiã ex prospero alterius eventu. Deinde ut justa causa intelligatur lætandi, ostendimus magnitudinem illius boni, quod assecutus est v. g. quòd non casu, non adulatione, non largitionibus, ut alii honorem istum, vel bonum sit adeptus, sed studio, virtute, meritis &c. Demum exponitur votum, ut superi hoc bonum perpetuum esse velint, ut isto honor ipsi, & toti Reipub. sit utilis. Vel per Apostrophen gratulamur patriæ, Reipub. familiæ, quod hunc Dominum acceperit.

Oratio Natalitia,

Multa in hoc orationis genere obveniunt consideranda, unde materiam laudis, & gratulationis haurire possit Orator. Ut sunt, anni tempus, v. g. ver, vel autumnus, mensis, alicujus honori apud veteres sacer, dies sanctorum nominibus, bene ominantibus, aut rebus præclare feliciterque gestis celebres apud Bucellenum. Horoscopus aut nativitatis signa apud Astronomos aestimata &c. Desumitur etiam ab antecedentibus, & consequentibus Nativitatem, aut natalis recursum, ut sunt præsagia, tem-

pusserenum, venti &c. Ab adjunctis loci & habitationis, in qua quis natus, à patrone sancto, ejus nomine, symbolo, instrumentis, tormentis, rebus gestis. A nomine, anagrammate, officij dignitate, à facto Natalem recolentis memorabili, à stemmate, insignibus, rebus gestis antecessorum. Dispositio esse potest ut in Gratulatoria. Exornatio illustrabitur, si in modum panegyricorum fiat, v.g. signorum cœlestium in quo natus est inductione, machinarum vel pegmarum erectione, triumphalis arcus, pyramidum &c.

Oratio Funeris.

Hoc genus orationum semper est doloris, & affectuum ferax, ac proinde maxime expoliendum figuris dubitationis, exclamationis, suspensionis, prosopopœjæ, apostrophes. Exordium si fiat ex abrupto ab aliqua exclamatione reddit auditorem attonitum: si à doloris magnitudine, quem Resp. ex occasu alicujus accipit, movet compassionem. Si ab indignatione quod adverso, quod inspirato fato occubuerit, concitabit desiderium illius vitæ. Aliquando Orator incipit illud à suo desiderio, dum scilicet optat vivo potius decantare laudes, quam mortuo ad tristem doloris nœniam. Sæpe inceptit à laude conglobata, & descendit ad doloris asperitatem, ex talis ac tanti viri occasu jure prognatam, ubi eleganter serviunt antitheta.

v. g.

v. g. hic vir quem olim vidimus in curia patrem patriæ hodie mortis conspicitur rapina; qui in acie miles erat fortissimus, hic jam mortis paller à vulnere. &c. Continet universum loquendo tres partes. In prima dolorem contestamur, in altera laudes demortui prædicamus. In postrema vel ad imitationem factorum exhortatur Orator, vel grati animi poscit memoriam, vel per apostrophem familiam concitat, & posteros ad talis viri jaçturam reparandam, vel brevi laudû dictarum anacæphaleosi defuncto scribit epithaphium.

De genere deliberativo.

Hujus duæ partes sunt, suasio & dissuasio. Ad suasionem referuntur, exhortatio, monitio, consolatio, commendatio: ad dissuasionem, dehortatio, objurgatio &c. suasio est oratio, quæ in consultatione ostendit, quid faciendum: dissuasio, quæ aliam partem, quam sequi liber, aut quæ ostensa est, evertere conatur. *Materia* in communi loquendo, sunt ea, futura, quæ contingere possunt & ad nos pertinere. *Causa efficiens sunt*, qui deliberant, quorum dignitatem mores, inclinationem, affectum diligenter observare debet Orator: qua ex causa Aristoteles lib. 2. Rhetor. Horatius in arte, & alii omnis ætatis & conditionis naturam explorant. *Finis est* honestas cum utilitate conjuncta. Honestas complectitur virtutem universim, justitiam,

fortitudinem, temperantiam, prudentiam; persuasurus igitur ex motivo honesti attendat virtutem quæ sit, & ad quod genus referatur, an ad justitiam, fortitudinem, &c. Utilitatis duæ sunt partes. 1. incolumitas & malorum fuga, atque ab incommodis libertas. 2. felicitas, quæ complectitur bona, quæ humanam vitam exhilarant, ut nobilitas, scientia, gloria, pulchritudo, gratia, opes, &c. Validissimum ad persuadendum est necessitas, hoc enim stupidissimum quemque convincit. Hoc usus argumento Tullius in Philippi. 4. Calcar addit jucundum & facile cum è contrario, quæ molesta sunt, & difficultatibus obsita deterreant animos. Consultum verò oratori velim, ut se in his generatim proponendis non detineat, sed quæ rei præsentis competant, discutiat. Unde adjunctorum locus maximè sit usui, circumstantias rerum proponendo. *Motus* qui hic spectatur, est desiderii, spei, amoris, timoris, in suadendo: in dissuadendo terrores, desperationes, indignationes &c. Hæc in genere. Quòd verò in particulari observandum est, sunt ferè sequentia. 1. ut intimos sensus & affectus deliberantium inspiciamus, quid nimirum cupiant, quid timeant, quid judicent &c. quibus probè cognitis facilior erit persuadendi ratio, cum scias quid ex unius cujusque animo sit evellendum, quid ad gustum

stum conveniens proferendum. Secundum est quod in suadente requiritur auctoritas seu opinio sapientiae, & virtutis, quemadmodum enim ducem peritum sequitur miles, qui tamen sub Imperito duce etiam tuta velut pericula trepidat & æger peritum medicum; ita vulgus sapientes & peritos qui suadent. Abesse vero debet suspicio malevoli animi, quare si advertatur eam adesse, initio suasionis est evellenda. Tertium est, ut afferantur argumenta ponderosa, levioribus relictis, qualia sunt 1. Divina, seu quæ à religione, & rebus divinis ducuntur, omnes enim religione moventur, ut ait Cicero 2. mala & damna quæ possunt timeri, ut sunt morbi, mortes, amissio liberorum, opum, bonorum, &c. 3. bona, quæ possunt sperari, sed illa adducenda quæ quisque maximi facit, ut Hollandi lucrum è negotiatione, cupidi, opes; ambitiosi, honores, &c. 4. exempla magnum ad persuadendum habent Momentum. Denique modus in suadendo servandus, ut tempore & loco non alieno, neque averso animo Auditoris suasionem aggrediaris; deinde ut suasio non appareat studiosè præparata, nè callidè se peti existimet Auditor.

Exhortatio.

Differt à suasionem, quia suasio docet, exhortatio movet, & impellet à potiori. In exhortatione providendum 1. ut res ad quam exhortamur sit planè honesta; atque ut talis appareat, diluendum est prius, si quid turpitudinis habere videtur. 2. prius oportet consistare rem facilem esse, antequam adhorteris; frustra enim reluctantes impellere conaberis, horrentesque difficultatem. 3. apud eos qui facile moventur, ut sunt ingenia perspicacia, & vivida, pauciora dicenda sunt, quam apud segnes. 4. ubi auctoritas adhortantis magna est, parcum decet esse verborum neque multorum argumentorum orationem; sola enim auctoritas totum conficit: nisi fortè illa paritas videatur esse superbiæ, & contemptus auditorum, si in exordiis ostendatur spes magna, & existimatio de virtute auditorum, & Orationis potius ad explendum officium, quam quod illi egeant, ea se dicere significet. Sic facit Cicero Philip. 4. 6. etsi prolixis argumentationibus non debet affluere oratio, vividae tamen rationes ex intimis rei adjunctis deductæ cum clarissimis recentibusque exemplis, quasi clavo mentem auditoris configent. 7. anima exhortationis est vivacitas, quæ in vi argumentorum in acris, & densis figuris elucet. 8. potentissimum argumentationis genus est, ubi exemplo præit, qui suadet.

De-

Dehortatio.

Eadem ferè habet, quæ exhortatio, præterquam quod animi jam exhortatione concitati, contrariis rationibus & moribus sunt imbuendi: ad quod plurimum valent ironiæ, quibus ea, quæ hortator attulit, exploduntur, aut subruuntur. Deinde redarguitur simplex credulitas Auditorum, qui se tam facile naso circumduci sinunt. Ita notatur fraus (consultò ad circumveniendos Auditores composita. 4. Res ipsa mala difficilis, laboriosa, periculosa, impossibilis ostèditur. 5. Promissà vana adversarii deridentur, contra exaggerantur labores, pericula, incerti exitus: quæ verò ab adversariis allata sunt exempla, demonstrantur esse malè adducta, alias fuisse circumstantias, alia tempora, alios mores: opponuntur illis, alia exopposito pugnantia. Vide pro hortatione & dehortatione Ducum orationes militares è veteribus historiis, ut Livio, Curtio &c. & nuper è P. Famiani Stradæ bello Belgico collectas in unum, simulque editas. Postiores annecti solent ejusdem Authoris Pro- lusionibus Academicis.

Consolatio.

Hæc capita alia habet communia, alia particularia. Communia ferè sunt. 1. Nas- scendi, moriendique necessitas, oriri soles &

Ll 5

occi-

occidere, flores & herbas prodire & interire, nihil diuturnum, nihil perpetuum. Sic Statius lib. 2. sylvarum in Epicedio Glau-
 ciae, superbiam ait esse, unum te ex illis
 velle eximere. 2. à miseris vitam co-
 mitantibus, non nostram solum, sed & alie-
 nam, etiam alios hæc mala premunt, pres-
 ferunt, & prement. 3. commemorari pos-
 sunt bona, quæ è malis patienter latis, e-
 mergunt, incommoda vitæ, sanitatis & bo-
 norum ab impatienter latis. Bonum sanè
 mortis, quam ingens, quod è vinculis &
 carcere in libertatem, à misera ad beatam
 vitam parat aditum. Adde lamenta, dolo-
 rem esse turpem, & mentium imbellium,
 laudi verò semper datam fortitudinem in ad-
 versis. Adjunge exempla præsertim dome-
 stica ex familia, ex urbe, aut aliunde nota
 &c. Singularia sumuntur ab adjunctis per-
 sonarum v. g. defuncti, quod vita be-
 ne acta, exornata virtutibus, scientiis, re-
 bus gestis, aucta posteritate, opibus, con-
 clusa testamento. ultimis verbis, exe-
 quiis, monumentis &c. Solverit licet na-
 turæ debitum, victurum tamen famam glo-
 riæ in seram posteritatem. Videatur Sene-
 ca de Consolatione ad Polybium, ad Marti-
 am, ad Helviam. Plutarchus ad Apollonia-
 um, Aristides ad Elconei parentes. Elocutio
 hic cavebit affectatum verborum florem,
 sed nitido velut naturali flumine sit pro-
 fusa.

fusa, sententiis & argumentis graviter argu-
ta, suavitatem tamen non rejiciens.

Commendatio eadem argumenta habet
quæ suasio, & dissuasio admixtâ laude vel vitu-
perio: quare ex supra dictis peti potest.

Vide Ciceronem pro lege
Manilia.



PARS